

Christi aliena fiat, atque in extremo examine di-
strictæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco
justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Chri-
sti, quatenus et hic fructum bonæ actionis perci-
piant, et apud districtum judicem præmia æternæ
pacis inveniant. Amen.

Data Parisiis per manum Hugonis presbyteri car-
dinalis, tenentis vices domni Guidonis sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, v
Kal. Junii, iudictione x, Incarnationis Dominicæ
anno 1147, pontificatus vero domni Eugenii papæ
tertii anno tertio.

CLXXXV.

*Ad Petrum Cluniacensem abbatem. — Balmensem ab-
batiam, ob piaculum cujusdam in magistrum Os-
bertum facinoris et contemptum Romanæ Ecclesiæ,
ad prioratum redigit, quem ipsi, ad instaurandam*

(Anno 1147, Maii 29.)

[D. BOUQUET, *Recueil*, XV, 443.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto
filio PETRO Cluniacensi abbati, salutem et apostoli-
cam benedictionem.

Quam proprie et specialiter Cluniacense mona-
sterium ad sanctam Romanam spectet Ecclesiam,
quantumque per Dei gratiam in religione profecerit,
quot etiam suæ bonæ conversationis exemplo ad
bene vivendum instruxerit, universus fere mundus
recognoscit. Quod nos diligentius attendentes, pro
exsecrabili et horrendo facinore, et inaudito con-
temptu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ in dilectum
filium nostrum magistrum Osbertum (22), ad igno-
miniam B. Petri et nostram, Balmenses monachi ausu
sacrilego commiserunt, loco ipsi nomen et dignita-
tem abbatie in perpetuum abstulimus, eumque tibi
tuisque successoribus, interventu fratrum nostrorum,
in prioratum ordinandum et disponendum ex apo-
stolica benignitate committimus. Tua itaque interest
ad ejusdem loci restaurationem et religionis refor-
mationem ita intendere, ut locus ipse sub tuo regi-
mine, tam in spiritualibus quam in temporalibus
gratum Domino suscipiat incrementum.

Datum Parisius, iv Kalend. Junii.

CLXXXVI.

*Ad Guillelmum comitem Matisconensem. — Ut Clu-
niacensibus Balmensem ecclesiam assignet et opem
conferat.*

(Anno 1147, Maii 29.)

[*Ibid.*, p. 444.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, nobili
viro G[UILLELMO] Matisconensi comiti, salutem et
apostolicam benedictionem.

Quam proprie et specialiter Cluniacense mona-
sterium ad sanctam Romanam spectet Ecclesiam,
quantumque per Dei gratiam in religione profecerit,
quot etiam suæ bonæ conversationis exemplo ad

(22) Osbertum Romanæ Ecclesiæ legatum dicit Ma-
hillonius, tom. VI *Annal.* p. 43. De perpetrato facinore
hæc Petrus Venerabilis, *ibid.* p. 500: « Prætereo
casum qui nostri temporis hominibus nimium notus
est, et qui indignitate sui scripto ad posteros trans-
mittendus non est. »

A bene vivendum instruxerit, universus fere mundus
recognoscit. Quod nos diligentius attendentes, pro
exsecrabili et horrendo facinore, et inaudito con-
temptu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ in dilectum
filium nostrum Osbertum, ad ignominiam beati Petri
et nostram, Balmenses monachi ausu sacrilego
commiserunt, loco ipsi nomen et dignitatem abbatie
in perpetuum abstulimus, eumque Petro Cluniacen-
sis monasterii abbati, successoribusque ejus, inter-
ventu fratrum nostrorum, in prioratum ordinandum
et disponendum committimus. Per apostolica itaque
scripta nobilitati tuæ mandamus, atque in pecca-
torum remissionem injungimus quatenus locum
ipsum cum thesauro et bonis suis omnibus et per-
tinentiis fratribus Cluniacensibus cum integritate
assignes, monachos exinde expulsos ad eorum obe-
dientiam revoces, et quibuscunque modis secundum
Deum poteris, fratrum Cluniacensium paci et tran-
quillitati provideas (23).

Datum Parisiis, iv Kal. Junii.

CLXXXVII.

*Ad Humbertum Bisuntinum archiepiscopum. — Ut
Cluniacensibus pro reformatione ecclesiæ Balmen-
sis opem conferat.*

(Anno 1147, Maii 29.)

[BOUQUET, *ibid.*, p. 444.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venera-
bili fratri H[UMBERTO] Bisuntino archiepiscopo,
salutem et apostolicam benedictionem.

Scire te volumus quod pro exsecrabili et horrendo
facinore, et inaudito sanctæ Romanæ Ecclesiæ con-
temptu, quæ in dilectum filium nostrum magistrum
Osbertum, ad ignominiam B. Petri et nostram,
Balmenses monachi ausu sacrilego commiserunt,
loco ipsi nomen et dignitatem abbatie in perpetuum
abstulimus, eumque dilecto filio nostro Petro Clu-
niacensi abbati ejusque successoribus, interventu
fratrum nostrorum, in prioratum ordinandum et
disponendum ex apostolica benignitate commisimus.
Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus præ-
cipiendo, quatenus ad ipsius loci restaurationem et
religionis reformationem fratribus Cluniacensibus
opem et consilium præbeas.

Datum Parisius, iv Kal. Junii.

CLXXXVIII.

D *Bulla in gratiam monasterii Tironiensis.*

(Anno 1147, Maii 30.)

[*Gall. Christ. nov.*, VIII, 328.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis
filiis GUILLELMO Tironensi abbati ejusque fratribus,
tam præsentibus quam futuris, regularem vitam
professis, in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est facilem præbere
consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur ef-

(23) Paruit Guillelmus, cujus non solum assensu,
sed et instinctu omnia gesta sunt. Ostendit hoc,
inquit Petrus *ibidem.*, chartâ quam armarium
Cluniacense continet, sigilli ejus impressione signata,
quam videre est in historia urbis de Poliniaco, t.
II, p. 683 et seq.